



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 186. Quid notandum circa Indulgentiam, quæ conceditur ingredientibus
Religionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

nicatæ sunt, non offerantur suffragia nomine Ecclesiæ, neque applicentur. De cætero rectè docet Rayn. s. 2. pu. 5. excommunicationem non impedire ingressum in cælum, dummodo satisfactio vel satisfactio pro pœna sit exsoluta. Vide dicta à n. 31.

Q. 186. *Quid notandum sit circa Indulgentiam,* 1356.
quæ conceditur ingredientibus Religionem. R. Putant quidem aliqui cum Rodriq., Indulgentiam plenariam, quæ dicitur obtineri per ingressum Religionis, posse obtineri per susceptionem habitûs aut per ingressum in Novitiatum, si fiat ex magno Dei amore & renunciatione mundi, sed quamvis hæc possint ex opere operantis factis esse ad remissionem pœnarum restantium, tamen Indulgentia ista plenaria videtur tantum obtineri in professione vel emissionem votorum substantialium Religionis, sola enim hæc comparatur Baptismo, & Novitatus est veluti status catechumenorum, uti cum aliis notat Less. in Auct. v. *Indulgentia*. cas. 2. Et Nav. Sanch. *Viva De Jubil.* q. 4. a. 5. putant Indulgentiam profitentium Religionem, prout dicit remissionem pœnæ peccatis debitæ, ex opere operantis posse esse plenariam. Aliam etiam Indulgentiam lucrantur Regulares induentes habitum religiosum, uti dicitur n. 1389.

Q. 187. *Quas indulgentias speciales habeat* 1357.
Societas JESU. R. S. 1. Accepi designationem impressam Romæ anno 1709. cum approbatione Magistri S. Palatii in hæc verba:

Indulgentiæ plenariæ in perpetuum concessæ omnibus & singulis utriusque sexûs Christianis fidelibus verè pœnitentibus & confessis ac sacramentali Communione refectis, qui ecclesias Societatis